



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus De Obligationibus Specialibus Certorum Statuum, De
Sacramentis In Genere, Et In Specie, Et De Censuris Et Irregularitatibus

Antoine, Paul-Gabriel

Ingolstadii, MDXXXIV.

VD18 90392167

Q. 8. Quinam contrahunt obligationem Sigilli?

urn:nbn:de:hbz:466:1-41032

Sigillo Confessionis: quia obligatio Sigilli est annexa soli Confessione instituta à Christo, vel ei cujus revelatio in Confessione à Christo instituta detrimentum cederet.

Hinc oritur solum obligatio secreti naturalis ex eo quod aliquis committens secretum Sacerdoti, dicat se illud ei committere sub secreto Confessionis, & Sacerdos sic admittat. Ita S. Th. in 4. dist. 21. q. 3. a. 1. q. 3. ad 2. nam secretum Confessionis religiosum, soli Confessione proprium est. Addit Sylvius hanc admissionem non carere irreverentiâ Sacramenti, cum nullum arcanum possit secreto Confessionis æquiparari.

Q. 8. Quinam contrahunt obligationem Sigilli?

Resp. Si omnes, qui immediatè vel mediatè, licitè vel illicitè, habent ex Confessione Sacramentali notitiam rei cadentis sub Sigillum: nam si omnes tenentur secreta servare ea, quorum revelatio redderet Confessionem onerosam ac odiosam, & ab ea homines deterreret. At si homines scirent aliquos tales posse aliqua ex Confessione cognita revelare, averterentur Confessionem, & ab ea averterentur. Prætereà cum quid prohibetur, prohibentur omnia quæ sequuntur ex illo. Reg. 39. Jur. in 6. Igitur securitas ac reverentia Sacramento debita exigit, ut quævis notitia per Confessionem solam quovis modo parta nunquam possit communicari sine expressa licentia pœnitentis, ne Sacramentum reddatur difficilius & odiosum.

Hinc

Hinc obligatione Sigilli tenentur 1. Ipse Confessor etiam fictus, sed per errorem legitimus existimatus; nam Confessio tunc ex intentione poenitentis est Sacramentalis. 2. Si omnes, qui peccatum poenitentis, dum confitetur, audierunt, sive culpabiliter, propius accedendo animo audiendi (quod est mortale ob injuriam gravem illatam Sacramento & Poenitenti) sive inculpate & prater voluntatem. 3. Superior, a quo extra Sacramentum petitur facultas absolvendi a casu reservato. 4. Interpres, ut organum medium per quod facta est Confessio. 5. Qui per examen disponit alium ad Confessionem; & qui consulitur an & quomodo hoc vel illud teneatur confiteri, quamvis alteri fiat Confessio. 6. Is, qui consulitur a Confessario, etiam cum licentia Poenitentis; alioqui valde odiosum & grave esset Poenitentibus concedere facultatem consulendi alium, (ut saepe necessarium est ad bonum Poenitentis, & rectam Sacramenti administrationem) si ille alius non obligaretur Sigillo. Item is, cui Confessor Poenitentem manifestavit ex consensu Poenitentis. 7. Si omnes, qui aliquid didicerunt etiam mediate ab ipso Confessario, aut quovis alio ad Sigillum obligato. 8. Qui peccata Poenitentis in charta descripta legi dum Poenitens ex scripto confitetur; is enim se habet, ut ille qui fortim audit confitentem. Qui autem ante, vel post & extra Confessionem cartam peccata continentem reperit, peccat graviter si legat, & se-

Hh §

cun-

cundum multos obligatur Sigillo: quia peccata in charta scripta ordinantur ad Confessionem Sacramentalem rite perficiendam, idque ut favorabilius Sacramento tenendum est.

Q. 9. An Pœnitens etiam obligatur Sigillo respectu Confessarii?

Resp. Neg. Quia obligatio Sigilli est solum in favorem Pœnitentis, ut securè ac confidenter peccata sua & conscientiam aperiat, sicut tenetur secundum institutionem Christi: non autem in favorem Confessarii, qui non tenetur ex institutione Christi peccata sua Pœnitenti aperire; & sic non eget obligatione Sigilli circa ea quæ debet dicere Pœnitenti. Pœnitens tamen habet obligationem secreti naturalis circa ea, quæ revelare nequit sine injusto damno Confessarii, aut contra rationabilem ejus voluntatem. At si Confessor aliquid dixerit, vel fecerit, quod vergat in damnum commune, vel privatum, ut si hæresim doceat, si sollicitet ad turpia, vel si existat aliud grave periculum ruinæ spiritualis sive Confessarii sive alterius; Pœnitens tenetur ex lege charitatis ista denuntiare Prælato, si aliter malum certò impediri nequit. Imò Gregor. XV. Bulla 34. præcipit Pœnitentibus ut denuntient Inquisitoribus, vel locorum Ordinariis Confessarios, qui personas quascumque, *ad inhonestam sive inter se, sive cum aliis quomodolibet perpetranda, in actu Sacramentalis Confessionis, sive antea vel post immediate, seu occasione vel pretextu Confessionis*
bujus-